

Izvorni tekst privilegije

NOS MARIA THERESIA DIVINA favente Clementia Romanorum Imperatrix Vidua; Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniae, Gallitiæ, Lodomeriæ, Bosniæ, Serviæ, Cumaniæ, Bulgariae, Regina Apostolica; ARCHIDUX Austriae; Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, et Carnioliae; Magna Princeps Transylvaniæ, Marchio Moraviæ, Dux Brabantia, Lymburgiæ, Lucemburgæ, Geldriæ, Würtembergæ, Superioris et Inferioris Silesiæ, Mediolani, Mantuæ, Parmæ, Placentiæ, Guastallæ, Auschvtzii, et Zatori; Princeps Sveviæ; Comes Habsburgi, Flandriæ, Tyrolis, Hannoniæ, Kyburgi, Goritiæ, et Gradiscæ; Marchio Sacri Romani Imperii Burgoviæ, Superioris, et Inferioris Lusatiæ; Comes Namurci; Domina Marchiæ Sclavonicæ, et Mechliniæ; Vidua Dux Lotharingiæ, et Barri; Magna Dux Hetruriæ. etc. etc. MEMORIÆ commendamus tenore Præsentium significantes, quibus expedit Universis. Quod Nos benigne, penitusque Animo revolentes quanta Regibus, et Principibus ex Congregatione Populorum unam Civitatem, seu Corpus Politicum constituentium, sit utilitas, quantum Divitiarum, veluti necessarii cujusvis temporis Nervi ex Civilis Cohabitationis Concordia, quæ est arctissimum, et optimum in omni Republica Incolumitatis Vinculum, possit sperari Augmentum, quantum denique Quæstus, et Commerciorum Regis, et Populi Commoda facilitantium, Civitatum, et Urbium Erectionibus, earumque Privilegialibus, Prærogativis et Indultis promanare valeant Emolumenta, facile Nobis persvasum habuimus, ut in ejusmodi Concessionibus tribuendis, Civitatibusque condendis, et amplificandis benignum Calculum nostrum adjiceremus, Civitatem etenim esse quandam sibi similium Hominum optime convivendi causa insimul conflatam Communionem Prisci docuerunt sapientes, Foraque, Domos, et Plateas ideo excogitasse naturam, suimet ipsius conservatricem, ut Societas humana simul conviveret, non mutua tantum consuetudine, sed potissimum Charitatis Vinculo æternum sibi copulata, et ad mutua quævis humanitatis Officia devincta, quippe propter mutuas necessitates facile Hominum Congressus sunt inventi; quod ipsum nisi institutum fuisse, summa in difficultate, animique tristitia /:quæ solitudinis Mater est:/ res humanæ constituerentur; Ethinc providentissimi Principes quoque ex ejusmodi in unam Societatem coalito Hominum Cætu, utilitatem publicam sapienter metientes, varia Privilegia ejusmodi Populis concedere olim etiam consververunt, ut et immortalis Nominis sui amplitudini, ad seros quoque Posteros suos transmittendæ, consulerent, et Populos sibi subjectos ad publicam felicitatem /:quæ est quies, et tranquillitas Reipublicæ:/ eveherent, in eademque cum rerum suarum augmento, jugiter stabilirent; hinc posteaquam Fideles nostri Privilegiati Cameralis Oppidi nostri SZENT MARIA in Comitatu Bacsensi siti, et antehac SZABATKA vocati, in Anno autem Millesimo Septingentesimo Quadragesimo Tertio præterito, e Jurisdictione Militari /:cui antehac suberat:/ totaliter exempti, et ad Mentem Legum Patriarum, signanter Articuli Decimi Octavi Diætæ Anni Millesimi Septingentesimi Quadragesimi Primi Jurisdictioni Regni, et præfati Comitatus Bacsensis realiter, et effective ex toto incorporati, ac per Fiscum nostrum Regium hactenus possessi, Cives, et Incolæ communi nomine Majestati nostræ in eo, quatenus antelatum Privilegiatum Oppidum nostrum in Liberam, Regiamque Civitatem evehere, et in numerum reliquarum Regni nostri Hungariæ Civitatum recipere, et adnumerare dignaremur, himillimis precibus supplicassent; Igitur benigno revolentes Animo multifaria, et perquam utilia, Nobisque grata, acceptaque memorati Privilegiati Oppidi nostri SZENT-MARIA Civium, et Inhabitatorum perprius Militarium Servitia, et

Servitiorum merita, quibus Ipsi a pluribus Annis tam prosperis, et pacatis, quam et diversorum tum intestinorum, cum et atrociun Turcicorum Bellorum calamitosis temporibus, signanter Annis Millesimo Septingentesimo Trigesimo Septimo, Millesimo Septingentesimo Trigesimo Octavo, et Millesimo Septingentesimo Trigesimo Nono ad Vidinum, Mehadiam, Nissam, Belgradum propriis suis Sumptibus, et Armis, non sine ingenti Familiarum suarum Cæde, ac in diram Servitutem abductione, ut adeo pro redemptione ejusmodi Captivorum Sedecim Millium Florenorum Summam Eosdem numerare oportuerit, dein vero pro Convectione Futokino Temesvarinum ad rationem Exercitus Cæsareo-Regii Farinæ, Octoginta Equis, et Centum Bobus præjunctos, et ad Octodecim Milliarum distantiam Onus hocce deferentes Currus cum jactura propriæ Æconomiæ suppeditando, ac insuper eadem occasione Pabulo Equorum Cæsareo-Regiorum deficiente, Foenum pro contestando Zelo suo per ipsos Cives, et Incolas eotum Loci Militaris SZABATKA desectum, citra aliquam Ærario Regio imputationem cedendo, illudque Canisam ad Rippam Tybisci Sexcentis Currubus devehendo, tandem vero Anno Millesimo Septingentesimo Trigesimo Nono, et Millesimo Septingentesimo Quadragesimo, dum recte in Civitate Zomboriensi contagiosa Lues grassaretur, fine demolitionis Vallorum Belgradiensium Sexcentos Manuales Operarios Sumptibus propriis ad Triginta Sex Mille Florenos exsurgentibus per continuos sex Menses suppeditando, una vero prædicto Anno Millesimo Septingentesimo Trigesimo Nono pro sedamine Valachorum in Districtu Temessensi eotum ferventis tumultus, duas Centurias Militum, aliam Equestrem, Pedestrem aliam propriis Armis, Vestibusque, ac Sumptibus, non nisi Panem ex Cæsareo Regiis Annonariis Officiis obtinentes expediendo, pro omni Posse suo, et Virium, facultatumque suarum exigentia, speciali semper solitudine, cura, et industria, Sacro cumprimis præfati Regni nostri Diademati, Serenissimisque quandam Hungariae Regibus gloriosæ memoriae Prædecessoribus nostris, consequenter Augustissimæ quoque Domui nostræ, et jam Nobis etiam, occasione præcipue præteriorum gravissimorum Bellorum nostrorum inde ab exordio Regiminis nostri cum diversis aliis Potentiis præhabitorum, signanter Anno Millesimo Septingentesimo Quadragesimo Primo, et Millesimo Septingentesimo Quadragesimo secundo Quatuor Centurias Militum, duas nempe Equestres, et totidem Pedestres Armis, et Amictu Militari, aliisque necessariis, ex propria sua Cassa instructas, et nonnisi a die motionis suæ, Stipendium ex Ærario nostro Bellico obtinentes, statuendo, et expediendo; ac subinde Anno statim subsequuo Millesimo Septingentesimo Quadragesimo Tertio Bellis undique æstuantibus, ad rationem eotum per Tribunum Menczl erectarum liberarum Centuriarum Centum quatuordecim, et pro usibus Legionis Equestris Ordinis Hungarici Festeticsianæ Triginta sex, adeoque insimul Centum Quinquaginta Sonipedes gratuito, et benevole offerendo, et effective statuendo; ac tandem pro clementer impertitis Eidem Privilegiis, ad Supremum Bancale Militare Officium nostrum Duodecim Mille Florenos numerando, et in diversis aliis quoque necessitatibus nostris Sumptus notabiliores prompte præstanto, Patriæ Publico pro Locorum, et temporum varietate, atque occasionum exigentia, intra, et extra Regnum constanter, et alacriter, atque cum magna Sangvinis sui effusione, numerosorumque Coincolarum suorum amissione, atque adeo facto, et re ipsa sese tum Nobis fideles ac perutiles Patriæ Cives, et zelosos Boni Publici Promotores exhibuerunt, testatique fuerunt, cum et in majorem debitæ suæ in Majestatem nostram Regiam homagialis Devotionis contestationem, verique erga Publicum Hæreditariorum Regnorum nostrorum, et Ditionum Bonum amoris thesseram, majus

denique submissi, ac grati in Nos Obsequii specimen, pro præhabitis Publicis Belli necessitatibus non solum Tyrones Milites majori numero statuerunt, et ad augendum generosorum Equestris Ordinis Hungarici Militum nostrorum numerum Centum pro Servitio nostro aptos, habilesque Equos obtulerunt, sed etiam Quinque Mille Ordinariorum Aureorum Summam in modernis Belli circumstantiis ad dispositionem nostram Cæsareo-Regiam gratuito, prompte, et effective præstiterunt, atque exolverunt; Pollicentes semet in futurum quoque continuis semper tam prosperis, quam adversis temporibus pari promptitudine, fideique, et devotionis studio tum fideles Subditos, nostros, cum et utiles Patriæ Cives, et Boni Publici Zelatores exhibituros, et jugiter testatueros; unde et Nos ad singularem Ipsiis impertiendam Regiam Gratiam et Munificentiam, non abs re permoverunt; Volentes proinde Nos quoque Benignitatis, et Munificantiae nostræ Regiæ prænominati Privilegiati Oppidi nostri Cameralis Cives, et Incolas participes reddere, utque Ipsi in sera etiam Posteritate sua fidelitatem, et fidelia eorum Servitia per Majestatem nostram agnita, remunerataque fuisse experiantur et per hoc ipsa quoque illorum Posteritas, ad futura de Majestate, Augustissimaque Domo nostra, et Sacro prælibati Regni Nostri Hungariæ Diademate, Bonoque Publico benemerendi Studia eo magis incitetur, et calcar, atque stimulum nanciscatur; igitur tum ob hoc, tumque etiam ex eo, quod de sæpefato Privilegiato Oppido nostro SZENT MARIA multum alioquin jam impopulato, spes indubia supersit, quod ubi libertati assertum, Privilegiisque novis donatum, et in numerum Liberarum Regiarumque Civitatum assumptum fuerit, multo magis adhuc populabitur, per hoc vero etiam Fundus Contributionalis pro supportandis Oneribus Publicis ultra augebitur, Quæstus, et Commercium in Partibus illis, velut injuria temporum multum adhuc desolatis, aliunderarum, promovebitur, et Incolis illarum Partium, occasione distractionis rerum suarum notabiliter parentibus, cum aliis in eodem æque Comitatu Bacsensi non ita pridem pariter per Nos erectis Liberis, Regiisque Civitatibus Neoplantensi, et Zomboriensi, pro communi Emporio sit deserviturum, et commodum sane quæstum exercendi, et augendi, Naturaliaque sua facilius distrahendi, et Pecuniam /:quæ principalis ad res humanas bene curandas, nervus est:/ comparandi occasionem, et facilitatem præbiturum; ad hæc, quo magis impopulatus fuerit in Partibus illis tanquam hostico vicinis sæperepetitus Locus SZENT MARIA, eo majori etiam tempore Belli Turcici /:quod DEUS clementer avertere dignetur:/ Hosti oppiso Exercitu Militari, ut facilius subsistere, et Hostem reprimere valeat, adminiculo, atque adeo Saluti quoque Publicæ, et communi totius Regni, Eidemque vicinorum Regnorum et Provinciarum nostrarum Bono multum utique prodesse poterit. Ex his proinde commune Bonum, publicamque utilitatem respicientibus rationibus, et motivis, cumulatisque antelatorum Civium, et Incolarum Supplicantium meritis, totum crebrofatum Locum nostrum SZENT MARIA, in Comitatu /:uti præmissum est:/ Bacsensi situm, de plenitudine Potestatis, et authoritatis nostræ Regiæ Nobis præviis etiam ex rationibus Vi Articuli Decimi Septimi Millesimi Sexcentesimi Octogesimi septimi Anni competentis, cum Terris, Juribus, et Prærogativis ab infra uberius declaratis, in LIBERAM REGIAMQUE charissimi Regni nostri Hungariæ CIVITATEM evehendum, creandum, et præficiendum, ac in reliquarum Liberarum, Regiarumque dicti Regni nostri Civitatum, Regiorumque Peculiorum nostrorum numerum, Cœtumque, et Ordinem cooptandum recipiendum, et adscribendum, abrogatoque ejusdem, quo hactenus vocabatur Oppidi SZENT MARIA nomine Eidem pro futuro nomen et titulum LIBERÆ REGIÆQUE CIVITATIS MARIA

THERESIOPOLIS a modo imposterum perpetuis semper temporibus dandum, tribuendum, esse duximus, atque concedendum, ex certa nostra scientia, animoque deliberato, benigne annuentes, ut CIVITAS hæcce MARIA THERESIOPOLIS a modo imposterum.

PRIMO: Universis et singulis Juribus, Prærogativis, Immunitatibus, et Privilegiis tum ex Lege Regni, cum etiam ex generali reliquarum Liberarum, Regiarumque Civitatum nostrarum consuetudine eidem competentibus, sed et nomine quoque LIBERÆ et REGIÆ CIVITATIS MARIA THERESIOPOLIS libere uti, frui, et gaudere valeat, et qua talis, quartum Regni Statum cum Sessione, et Voto, ingrediatur, et pro recepta Regni Consuetudine, in futura Diæta Articulis Regni inseratur, successivisque temporibus ad Generales quoque REGNI DIÆTAS, per consuetas Regales Literas vocetur, pro Peculio item Sacræ Regni Coronæ, nullum alium præter legitime coronatas Regias Majestates Terrestrem Dominum recognoscente, habeatur, nec ab Ea unquam separari, alienari, vel oppignorari ullo pacto possit, ac valeat.

SECUNDO: Magistratus, et Cives ejusdem Civitatis collectivo nomine sumpti, ad mentem Legum pro vero, et indubitate Regni Nobile censeantur, adeoque cæteras inter nobilitares Prærogativas, ipsa quidem Civitas in concreto, quoad res pro necessitate propria, seu communi, ex aliis Hæreditariis Regnis, et Provinciis nostris in Hungariam inducendas, vel abinde educendas, Immunitate quoque Tricesimæ gaudeat; ipsi vero Cives singillatim sumpti, ad conformitatem aliarum Liberarum Regiarum Civitatum, earumque Civium solitis Civitatis Passualibus Literis muniti, a Solutione duntaxat Teloniorum, et Tributorum, neutiquam autem Tricesimarum imposterum sint exempti, et immunes, Passualesque Civitatis Literæ, legitime confectæ, et sub usitato infrascripto Civitatis Sigillo, Ceræ impresso, Itinerantibus Civibus extradandæ ubivis Locorum acceptentur, suamque firmitatem obtineant.

TERTIO: Publicas Contributiones non secus, quam cum Regno, et Taxas Diætales, ac quævis Onera Publica nonnisi ad instar aliarum Liberarum, Regiarumque Civitatum præstare, et supportare sit obligata, consequenter omnes et singuli, cujuscunque, Status, et Conditionis Fundos Civiles ibidem possidentes, Beneficiaque Civilia usuantes Personæ, non obstante nobilitari, militari, vel camerali ipsorum Prærogativa, debitas a Fundis eorum, aliisque Beneficiis Civilibus Contributiones in medium ipsius Civitatis præstare, aliaque communia Onera supportare, ac respectu ejusmodi Fundorum, Beneficiorumque Civilium Jurisdictionem Civilem recognoscere teneantur, exceptis Fundis /:si qui in eadem Civitate actu jam forent:/ Curialibus, Regiisque Privilegiis, et Immunitatibus provisis, adeoque ratione ejusmodi Fundorum Curialium, uti et Personarum nobilium, Curiali Libertate, et respective nobilitari Prærogativa gaudentium ad conformitatem Legum Patriarum salva ulterius permanente.

QUARTO: Pro Territorio ejusdem Civitatis totum, et omne Terrenum per Camerale Loci Incolas hucusque possessum cum sequentibus numero Duodecim Prædiis, utpote CSANTAVÉR, VERUSSITTY, TOMPA, LUDAS, ZABNATICZA, NAGY-FENY, VANTELEK, GYORGYÉN, BAJMAK, TAVANKUT, SZEBESSITTY, et KELLEBIA, nec non Fluvios JESZENOVACZ, seu KÖRÖS, et Lacum PALITTY nominatos, cum suis veris, et antiquis Metis, ac Limitibus, universisque eorundem quocunque nomine censendis Appertinentiis, Beneficiisque, et utilitatibus prout et

Proventibus omnibus, et signanter etiam Educillis, et Macellis, ubicunque in hocce Territorio, in, vel extra Civitatem haberi queuntibus, Braxatione Cerevisiæ, Exustione Cremati, et Tegularum, Emolumentis præterea Fororum et Nundinarum, Taxæ dein Judæorum, et aliorum non Civium, in Civitate tamen, vel ejusdem Territorio commorantium, Pharmacopæarum etiam, et Tabernarum erectione, cunctis denique Juribus, et Jurisdictionibus, Dominis Terrestribus competentibus, eo Jure, et Facultate, prout nimirum Camera, vel Fiscus noster Regius eadem possidere, et usufructuare potuisset, memoratis Civibus, et Incolis nostris LIBERÆ REGIÆQUE CIVITATIS nostræ MARIA THERESIOPOLIS, totique eorundem Communitati intuitu prædeductorum diuturnorum fidelium æque, ac utilium Servitorum tam Militarium, quam Politicorum, exindeque comparatorum Meritorum suorum, nec non pro Ducentorum Sexaginta Sex Millium Sexcentorum Sexaginta Sex Florenorum, et Quadraginta Xruciferorum Summa, ad Ærarium nostrum Regium in competentibus Ratis intra Sex Annos deponenda, sub Evictione Fisci nostri Regii usque ad præspecificatam ad Ærarium nostrum /:uti dictum est:/ effective deponendam Summam, assumpta, pendendo item quotannis Censu Regio, quem usque ulteriore benignam dispositionem nostram pro hic et nunc in Mille Florenis clementer defigimus, perpetuo possidenda, et usuanda dedimus, donavimus, et contulimus, eo tamen per expressum declarato.

QUINTO: Ut non solum numerum Civium, et Incolarum suorum Mechanicis, et cujuscunque Sortis Manufacturarum Fabricatoribus, ac Publico utilibus Opificibus, mere tamen Romano-Catholicæ Religionis augere, Eisdemque Fundos intravillanos /:Subsidio pro Ædificatione Domorum eisdem ex Cassa sua Domestica erga successivam bonificationem præstanto:/ gratuito assignare, et exscindere; verum etiam duo eidem Liberæ, Regiæque Civitati, ut supra per Nos clementer collata prædia Csantavér nempe, et Bajmak nuncupata sumptibus suis propriis quantocyus impopulare, consequenter ad Vires Sessionum Colonialium, prævie Geometrice emensurandarum, in Possessiones transformare beat, et teneatur, sitque obstricta, quæ subinde Prædia Impopulatione de pleno effectuata, per Comitatum, ad cuius nempe Jurisdictionem de Jure, et Consuetudine spectant, et pertinent, in Concursu Magistratus repetitæ Liberæ, Regiæque Civitatis conscribenda, ac a Portis, Civitati eidem admensis, juxta æquam proportionem defalcanda, elaboratumque ejusmodi medio Consilii nostri Regii Locumtenentialis Hungarici pro clementissima Inspectione, et approbatione demisse repræsentandum; interea vero usque dum videlicet prædicta duo Prædia Csantavér, et Bajmak effective impopulata, atque suo modo et ordine communibus, et publicis Oneribus subjecta fuerint toties memorata Civitas Präjuncturas necessarias pro Magistratalibus Comitatus Personis /:præstatione Präjuncturarum Militarium eandem Civitatem ad instar Liberarum, Regiarumque Civitatum Zomboriensis, Debreczinensis, Szegediensis, et aliarum, quæ sufficienti, et amplio Pascuo provisæ sunt, alioquin manente:/ ex gremio Civitatis, uti hactenus administrabit, ac in promotionem Publici, consequenter Altissimi quoque Servitii nostri debite statuet.

SEXTO: Admittimus præterea, et concedimus, Communitati hujus Liberæ, Regiæque Civitatis nostræ, ut eadem per selectum Civium ad instar aliarum Liberarum, Regiarumque Civitatum nostrarum Judicem, et duodecim Senatores pro Magistratu suo, ac præterea alios quoque Civitatis Officiales, et Servidores ex mere Romano-Catholicis, ad id aptos, et idoneos, in Festo Sanctæ Theresiæ in Decimumquintum Octobris

incidente, juxta Leges Patrias, et usum aliarum Liberarum Regiarumque Civitatum libere eligat, taliter vero legitime electæ Magistratuales Personæ, et quidem Judex per duos Annos, Senatores vero ad dies Vitæ in Officiis maneant, neque sine præscitu, et Consensu nostro, ab iisdem amoveri valeant; Qui Loci Magistratus, Causas Judicatiui Liberarum, Regiarumque Civitatum competentes, modo et praxi aliis Liberis, et Regiis Civitatibus communi, Legibusque Regni conveniente judicabit, Appellationem autem in Causis appellabilibus coram Se causantibus, et litigantibus Partibus, ad Tavernicorum nostrorum Regalium Magistrum pro maturiori Revisione, facere admittet, et Sententiam suam cum tota Processus Serie more solito eorum transmitted; non secus.

SEPTIMO: Confirmamus huic Liberæ, Regiæque Civitati nostræ Jus Gladii, exercendamque ad normam aliarum Liberarum Regiarumque Civitatum nostrarum in Malefactores quosvis in Territorio suo deprehensos, Criminalem Jurisdictionem cum facultate Columnam infamem, et Patibulum Opera Murariorum erigendi, non absimiliter etiam reliquas universas Causas, tam Publicum Civitatis Statum, quam et Personas, Fundosque Civiles respicientes, ac quovis modo ad Jurisdictionem Magistratualem pertinentes, judicandi potestatem; præterea.

OCTAVO: Admittimus eidem Civitati etiam Jus Patronatus eo modo, ut facultatem præsentandi Parochum Catholicum penes solos Catholicos Cives, et Incolas semper maneat, et vicissim Græci etiam Ritus non Uniti Cives soli sibi de Parochis suis more suo provideant, iisdemque ab utrimque de necessariis Subsistentiæ mediis prospiciant; et cum

NONO: Præattactam Civitatem nostram MARIA THERESIOPOLIM, et Territorium illius, a Jurisdictione Militari, et Camerali, quibus antehac suberat, totaliter exemerimus, et libertaverimus, ideo universi ejusdem Cives, et reliqui Incolæ omnes cujuscunque Nationis, Status, et Conditionis existant, nullam amplius seu a vicinorum Fortalitorum nostrorum, vel aliorum quorumcunque modernis, et futuris Commandantibus, eorundemque Subalternis, seu etiam Officialibus nostris Cameralibus, in Partibus illis constitutis, verum non nisi a Loci Magistratu, suam in futurum habeant dependentiam, adeoque Loci Magistratus in Cives, et incolas hujus Civitatis nostræ Lege stabilitam, et Liberis, Regisque Civitatibus legitime competentem Jurisdictionem tam in Personalibus, quam realibus, Fundos videlicet Civiles in Territorio ejusdem possessos, tangentibus, exceptis, qui de Lege Regni excipiuntur, exercebit, nihilominus

DECIMO: Iidem Cives, et Incolæ Civitatis hujus, in quibusvis Belli, aliisque Publico periculis Circumstantiis Nobis debitam fidem, ac fidelem correspondentiam cum vicinorum Fortalitorum nostrorum Commandantibus, vel pro tempore constitutis Belli Ductoribus nostris fovere, omnesque sibi notas periculosas Machinationes, et Simultates, perversaque et nociva Consilia quantum penes eosdem stat, anteverttere, imo similia instantanee detegere, denique omnia ea, quæ fidelibus Subditis de homagiali obligatione sua incumbunt, internamque quietem, et securitatem concernunt, prompte, fideliter, et accurate observare teneantur; et cum

UNDECIMO: Communis necessitatis, et internæ quoque Civitatis hujus Securitatis ratio svadeat, ut ipsa etiam hæc Civitas, ut primum fieri poterit, Vallo, et cum tempore etiam Muris ad instar aliarum Liberarum Regiarumque Civitatum cingatur, Portæ item necessariae erigantur, et Vigiliis provideantur, igitur quemadmodum Civitati hæc provide curare incumbet, ita liceat Eidem eum in finem etiam necessarios pro Custodia Civitatis Satellites, vulgo Trabanos, seu Hajdones tot numero, quot necessarii fuerint, uti et

Tympanotribas pro instituendis Publicationibus, vel in casu Incendii adhibendos, constituere, qui Satellites necessariis Armis provisi, cum sibi præponendo Civitatis Capitaneo ex gremio Magistratus semper eligendo, nocturno tempore de more in aliis quoque Liberis, Regiisque Civitatibus observato, fine coercendorum Malevolorum, et inquietorum Hominum, et observandorum, antevertendorumque quorumvis Excessuum, per Civitatem circumire, et Excubias agere obligentur. porro

DUODECIMO: Admittitur quidem Eidem Civitati, etiam id, ut in quibusvis Caducitatibus Civilibus, seu Personarum, Fundorumque, et Facultatum Civilium Fiscus Civitatis succedat, talesque Caducitates libere apprehendi, et pro Publico Civitatis applicari valeant, in Bonis nihilominus Mobilibus deficientium Nobilium, et liberarum Personarum, in Fundo Civili decentium, prout et in universis Bonis mobilibus, et immobilibus hæreditariis, in Terreno, et Fundo Civitatis istius tentis, et possessis, quorumvis tam Nobilium, liberarumque Personarum, quam et Civium, de Nota Infidelitatis, aut Crimine læsæ Majestatis Convictorum, Fiscus Regius ad mentem Articuli Octogesimi Septimi Millesimi Sexcentesimi Quadragesimi Septimi, et Sexagesimi Secundi Millesimi, Septingentesimi Decimi quinti immediate succedat, ejusmodique Civiles hæreditates, Collationi Regiæ eo facto subjaceant, per Donatarios attamen Jure Civili possidendæ; et quoniam

DECIMOTERTIO: In Regno, et Partibus eidem annexis degentes, et constituti Græci Ritus non uniti, Rascianæ Gentis Homines antiqua Cæsareo-Regia Privilegia in Anno Millesimo Septingentesimo Quadragesimo tertio etiam per Majestatem nostram benigne confirmata, haberent, ideo Incolæ hujus Civitatis Græci Ritus non uniti, in quantum in usu illorum Privilegiorum ibidem hactenus fuerunt, in illo juxta genuinum illorum Sensem, et tenorem, etiam imposterum permaneant; dehinc autem nonnisi Romano Catholici ad Jus Concivilitatis admittantur.

DECIMOQUARTO: Etiam id benigne concedimus memoratæ Civitati nostræ MARIA THERESIOPOLI, ut pro Publico illius, vicinorumque Locorum Bono, et Commodo, quemadmodum hactenus, singulis Septimanis unius Ordinis pro Die videlicet Lunæ Hebdomadales et præterea Ternas Publicas, et quidem Primas Die Decima sexta Maji, in Festo nempe Sancti Joannis Nepomuceni; Secundas Die immediate Festum Nativitatis Beatae MARIAE Virginis; et Tertias demum Die immediate Festum Omnium Sanctorum sequentibus, cum totidem Foris Pecuariis ante, et post easdem dies celebrandis, omni eo Jure, et Privilegio, quo aliæ Liberæ Regiæque Civitates nostræ, Nundinas servare tenere, et habere, ex iisdemque legitime obtingentem Reditu, et Proventum pro communi emolumento suo percipere valeat, atque possit, ea tamen per expressum adjecta cum declaratione, ut ubi ipsa Annorum serie præmissi Celebrationi Nundinarum præfixi dies, in Diem Dominicam, aut Fori Festum inciderint, casum in illum Nundinæ Diebus hanc, aut tale Festum proxime sequentibus, nunquam autem Dominico, vel Fori Festo celebrentur; quo vero

DECIMOQUINTO: Præfati Cives et Incolæ crebro nominatæ hujus Civitatis nostræ MARIA THERESIOPOLIS supra declaratis benignis Concessionibus, Libertatibus, et Prærogativis, aliis etiam Liberis, et Regiis Civitatibus nostris communibus, ac Legibus et Constitutionibus Regni potissimum contentis, et probatis, omni cum tranquillitate, et quiete secure, ac imperturbate uti, frui, et gaudere valeant, omneque eatenus impedimentum, et cuiusvis Dissensionis ansa amoveatur, omnem omnino Domorum, et Fundorum Civilium in, vel extra Civitatem existentium, sine

Consensu, et in Præjudicium Communitatis, ac citra benignam Annuentiam Regiam Exemptionem et Liberationem cautam esse volumus, et vetitam imo per expressum statuimus, ut si quæ Bona immobilia sive hæreditatis, sive alio quocunque titulo, ad Ecclesiasticam, aut alienigenam, vel exteram Personam devolvi continget, talis similia Bona intra Annum /:nisi se medio tempore Jurium, et Beneficiorum civilium consortem et participem reddiderit:/ Civibus, divendere teneatur, secus penes Magistratum stabit, prævia æstimatione, et pretio Possessori eorundem exsoluto, eundem ab ejusmodi Bonis juxta Regni Leges amovere; ac ut

DECIMOSEXTO: Municipalis Cursus, et Jurisdictio Civilis sarta, tectaque maneat, et neutiquam turbetur, aut confundatur, per expressum volumus, ac declaramus, ne ullus aliis seu Militares, sive Camerales Officiales nostri sint, nec etiam Comitatus cum præjudicio Legum, et antelatae Civitatis nostræ, in eadem, et in Territorio ipsius quampiam Jurisdictionem exercere, Judicium contra Cives ferre, vel aliis actibus Jurisdictionibus in eos procedere, vel semet immiscere, aut etiam in exequendo Actu Criminali in Portis, seu alibi, Magistratum impedire præsumant; præterea

DECIMOSEPTIMO: Cum justi pro injustis, et innoxii pro noxiis, et Reorum Excessibus non debeant quoquo modo impediri, vel turbari, hinc prout præfatos Cives, et Incolas prænominatæ Civitatis nostræ ubique locorum, propter aliorum debita, in Persona, vel Rebus suis arrestari, et detineri facere cautum omnino, ac vetitum esse volumus, et jubemus; ita a quibuslibet Vectigalibus, Tributis, Teloniis, et Tricesimis intra ambitum præfati Regni nostri Hungariæ, et Partium eidem annexarum, prout et a violenta in Domos ipsorum invitis Hospitibus, et præter Magistratualem assignationem cujuscunque Conditionis Hominum Condescensione, Quarteriis, et Hospitalitate, antiqua Liberarum, Regiarumque Civitatum nostrarum Libertate id exigente, exemptos esse declaramus; hoc quoque per expressum declarato.

DECIMO OCTAVO: ut Concessiones, Jura, et Privilegia hæcce juxta Articulum Vigesimum nonum Diætæ Anni Millesimi Septingentesimi Quadragesimi primi non aliis, quam nostris veris Subditis, et antelatae Civitatis nostræ modernis, ac futuris Civibus ac Incolis /:quos Ordine posteriores, uti jam præmissum est, Romano-Catholicos esse oportet:/ deserviant, et suffragentur;

DECIMONONO: Quo vero perpetuum, et celebrius Liberationis hujus, Benignitatisque, et Clementiæ nostræ Regiæ erga præfatam Civitatem nostram MARIA THERESIOPOLIM, ejusdemque Cives, et Inhabitatores declaratæ, et elargitæ extet Documentum, eademque pleniore Beneficio decorata, clarius in oculos incurrat Hominum, ejusdem Civitatis antiqua Armorum, quibus hactenus, qua Oppidum ex Privilegio nostro usa est, Insignia non modo benigne confirmavimus, verum etiam certa in parte adauximus, et illustravimus, et in hanc uti sequitur, formam futuris, et perpetuis semper temporibus usuanda, ac usum quoque Ceræ rubræ in sigillando, benigne concessimus:

S C U T U M videlicet in Figura Sphaerica, seu rotunda horizontaliter sectum, superiore sui parte cœruleum, Beatissimam Virginem MARIAM continens, Tunica coccinea, Velamine, aut Syrmate ornata, amictam, cum JESULO Veste carente, qui Divam Theresiam prærepetitæ hujus Regiæ ac Liberæ Civitatis nostræ MARIA THERESIOPOLIS Patronam electam e sinistra Scuti parte dextrorum respicientem, amictu Sancti Monialium Instituti Religiosorum Carmelitarum indutam, circulo aureo /:Sanctitatis Tessera:/ Caput redimitam, et sinistra Pectori admota, dextram versus

DEIparam Virginem, hujusque Filium divinum extendentem, expansis Brachiis, quasi amplexurus visitur, e Nubibus cœlestibus apparentem; Inferior Scuti pars ostentat Leonem aureum, Cauda bifurca, super tergum projecta, et districta minitantem framea dextrorum conversum; eidem huic Scuto incumbit Corona vulgaris, circumferentia vero ipsius Scuti exterior hac Epigraphe, seu Superinscriptione: SIGILLUM LIBERÆ ET REGIÆ CIVITATIS MARIA THERESIOPOLIS circumducta conspicitur.

Quemadmodum hæc omnia in principio seu capite præsentis benigni Diplomatis nostri Pictoris edocta manu, et artificio, propriis, et genuinis suis coloribus depicta, et ob Oculos Intuentum lucidius posita esse conspicuntur; Decernentes, et ex certa nostra scientia, animoque deliberato concedentes, ut memoratæ Civitatis nostræ Liberæ, Regiæque MARIA THERESIOPOLIS Cives, Hospites, et Incolæ, ac eorum Posteri, et Successores universi, Sigillo ejusdem Civitatis prævio modo Armorum Insigniis notato, et exsculpto, universas, et quaslibet Literas suas quacunque de causa in medio eorundem communi nomine expediendas, Cera rubra sigillare, hujusmodique Sigillo in Cera Coloris prænotati, quibuscumque Literis Civitatis appensa, seu appressa, perinde sicut Literis aliarum Liberarum, ac Regiarum Civitatum nostrarum Cera similis Coloris in Sigillo utentium, Vigor, et Fides adhibeantur, adhiberique debeant effective, et indubitanter.

VIGESIMO: Cuncta tamen præmissa ea speciali cum Conditione resolvimus, ut prærepetiti Cives, Incolæ et Hospites, in omnibus semet aliis Liberis, Regiisque Civitatibus nostris conforment, et ab Ingratitudinis, et Infidelitatis Nota, et Macula sub amissionis, et ablationis horum, ac aliorum omnium Privilegiorum, et Libertatum suarum, aliaque Poena legali perpetuo sibi cavere, hocque insigne Beneficium, et non vulgarem Gratiam, et Clementiam nostram Ipsi collatam, de Majestate nostra, Hæredibusque, et Successoribus nostris, legitimis videlicet Hungariæ Regibus, omni Fide, Constantia, et Fidelitate jugiter promereri studeant, et debeant; Imo cooptamus, recipimus, et adscribimus quoad omnia, et singula præmissa /:Salvo Jure alieno, præsertim vero ECCLESIARUM DEI:/ In cuius Rei Memoriam, Firmitatemque perpetuam, Præsentes Literas nostras Secreti Majoris Sigilli nostri impendentis /:quo ut Regina Hungariæ Apostolica utimur:/ munimine roboratas Iisdem Civibus, et Incolis annotatae Civitatis nostræ MARIA THERESIOPOLIS pro Ipsi, eorumque Posteris, et Successoribus in Ævum valituras, sub Evictione Fisci nostri Regii /:ut præmissum est:/ dandas duximus, et concedendas.

Datum per manus Fidelis nostri, Nobis sincere Dilecti Spectabilis ac Magnifici Comitis Francisci Eszterházy de Galantha, Perpetui Comitis in Frakno, Aurei Velleris, ac una Insignis Ordinis Sancti Stephani Apostolici Magnæ Crucis Equitis, Camerarii, Consiliariique nostri Actualis Intimi, Comitatus Mossoniensis Supremi Comitis, Curiæ item nostræ Regiæ per Regnum Hungariæ Magistri, et per antelatum nostrum Hungariæ Regnum Aulæ nostræ, prout et dicti Ordinis Sancti Stephani Cancellarii, in Archi-Ducali Civitate nostra Vienna Austriæ, Die Vigesima secunda Mensis Januarii, Anno Domini Millesimo Septingentesimo Septuagesimo Nono. Regnorum nostrorum Hungariæ, Bohemiæ, et reliquorum Anno Trigesimo Nono.

Reverendissimis, Illustrissimis, Reverendis item, ac Venerabilibus in CHRISTO Patribus Dominis: Josepho e Comitibus de Batthyán, S[acrae]. R[omanæ]. E[cclesiæ]. Cardinale, et Principe S[acri]. R[omanii]. I[mpérii]. Metropolitanæ Strigoniensis; Adamo e Liberis Baronibus Patachich de Zajezda, Colocensis et Bacsensis Ecclesiarum Canonice unitarum Archi-Episcopis; Comite Francisco Zichy de Vásonkő , Jaurinensis; Comite

Carolo Eszterházy de Galantha, Agriensis; Christophoro e Comitibus Migazzy de Vall, et Sonnenthurn, S. R. E. Cardinale, Principe S. R. I. Administratore Vacziensis; Josepho Gallyúff, Zagrabiensis; Joanne Baptista Caballini, Segniensis, et Modrussiensis, seu Corbaviensis; Matthæo Francisco Kerticza, Bosnensis, seu Diakovariensis, et Syrmiensis; Comite Ladislao Kollonics de Kollegrad, Transylvaniensis; Carolo Szalbek, Scepusiensis; Comite Francisco Berchtoldt, Neosoliensis; Comite Antonio de Réva, Rosnaviensis; Josepho Bajzáth, Veszprimiensis; Joanne Szily, Sabriensis; Ignatio Nagy de Séllye, Alba-Regalensis; Emerico Christovics, Csanadiensis; Antonio Zlatarics, Belgradiensis, et Samandriensis; Stephano Nicolao Jaklin, Electo Almisiensis; Comite Sigismundo Keglevics de Buzin, Electo Makariensis; Georgio Nunkovics, Electo Serbiensis; Josepho Pethő, Electo Drivestensis; Barone Emerico de Perény, Electo Bacensis Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias DEI feliciter gubernantibus. Serenissimo item Principe Domino Alberto, Regio Poloniæ, et Lithvaniæ Principe, Duce Saxoniae, prælibati Regni nostri Hungariae Locumtenente nostro Regio; nec non Spectabilibus ac Magnificis; Comite Georgio Fekete de Galantha Judice Curiæ nostræ Regiæ; Comite Francisco de Nádasd, Perpetuo Terræ Fogaras, Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiæ, et Sclavoniæ Bano; Comite Adamo de Bathyán, Tavernicorum; Illustrissimo S. R. I. Principe Nicolao Eszterházy de Galantha, Perpetuo Comite in Frakno. Nobilis Turmæ nostræ Prætoriæ Hungaricæ Capitaneo; antelato Comite Francisco Eszterházy de dicta Galantha Curiæ; Comite Joanne Nepomuceno Csáky de Keresztszegh, Agazonum; Comite Joanne Nepomuceno Erdödy de Monyorókerék, Cubiculariorum; Comite Antonio Károlyi de Nagy-Károly, Dapiferorum; Comite Leopoldo Pálffy ab Erdőd, Janitorum; Comite Francisco Xaverio Emerico Koller de Nagy-Mánya, Pincernarum nostrorum Regalium per Hungariam Magistris; ac Comite Joanne Pálffy ab Erdőd, Comite Posoniense, cæterisque quamplurimis sæpefati Regni nostri Hungariae Comitatus Tenentibus, et H O N O R E S.
Maria Theresia

Comes Franciscus Eszterhazy
Josephus Gaszner

Anno 1779 Die 13^a Mensis Decembris sub Prali I. Comitatus Bacsensis Congregatione in Libera Regiaque Civitate Zombor celebrata Præsentes Benignæ sua Majestatis Sacratissima Litera Privilegiales Die 22^{da} January Anno cur. 1779 Viennæ Austria emanatae Oppidum gremiale Szent=Maria olim Szabatka in numerum reliquarum Liberarum Regiarumque Civitatum sub nomine Maria Theresiopolis pro futuro usurpando elevantes Lectæ et publicata sunt, Fiscali Magistratali eatenus quatenus Impopulatione Prædiorum Bajmak et Csantaver etiam secuta præjuncturæ universa in conformitate datarum Reversalium pro transenante Militia, pro Officialibus et Servitoribus Comitatensibus omni tempore /:uti hactenus:/ per antelatam Civitatem praestentur. Quatenus porro usqueque Impopulatio memoratorum Prædiorum consumanata et Portarum ejectatio pro Locis impopulatis secuta fuerit, ad Cassam Domesticam Comitatus istius ea, qua hactenus ratione eadem Civitas contribuat cautelam protestatoriam interponente, Deputatis vero Ejusdem Liberæ Regiaque Civitatis Maria Theresiopolis Utriusque Puncti intuitu reprotostantibus.

Per Franciscum Kászony
plibati Icottus Bacsensis J[uratus] O[rdinarius]
Notar[ius]